FRAUS CAPTIOSÆ COLLATIONIS ELOGIORUM A S. SEDE...


Daniel : van Papenbroeck



ꟷRA'IS CAPTIOSÆ COLLATIONIS ELOGIORUM A S. SEDE DATORUM CARMELITIS, ET SCOMMATUM PSEUDO-PAPEBROCHII IN EOSDEM

Urbis & Orbis judicio exposita.

Lectori Daniel Papebrochius S. J.




SPargitur Romæ, nec parum offendit famosum schediasma, ex Hispania allatum, sub nomine *Collationis, inter graviores aliquot P. Papebrochii propositiones & alias summoorum Pontificum.* Huic Pasquinatæ necessario occurrendum esse, per veram sensus mei expositionem, censuerunt ii, quorum consiliis & mandatis me par est morem gerere. Itaque Propositiones Romanis Pontificibus adscriptas, vocabo distinctionis causa, *Protheses*; & mala fide oppositas iis, *Antitheses Pseudo-Papebrochii* appellabo; utrisque vero subjungam *Theses* meas, quarum prolixior explicatio & probatio, invenietur in *Responsione ad Exhibitionem errorum*, mihi imputatorum ab adm. R.P. Sebastiano à S.Paulo, Carmelitarum bis Provinciali, librum ejus articulatim refutatura, & successive proditura in lucem, cum omni erga sanctam Apostolicam Sedem subjectione.

PROTHESIS. I. SUMMORUM PONTIFICUM.

Quindecim summi Pontifices asserunt in Bullis, Carmelitas esse hereditarios successores SS. Prophetarum Eliæ & Elisei.

ANTITHESIS. PSEUDO-PAPEBROCHII.

Carmelitæ, asserentes se esse hereditarios successores SS. Eliæ & Elisei, sunt fabulatores, falsarii, & impostores.



THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

QUando declaraverit Pontifex, quo sensu intelligenda sit prædicta successio; declarationi ejus libens ac prompte subscribam: quamdiu autem hoc non fecerit, exigentibus ut subscribam ad mentem suam, non acquiescam, nisi ea certiori & antiquiori auctoritate stabiliatur, quam hac in parte sit Bullarum allegatarum. Causam accipe. Primus successionis illius meminit Sixtus IV (quē transcripserunt alii) in utroque Mari magno Carmelitarum; tam Privilegiorum quam Indulgentiarum anni 1476. Meminit autem successionis prædictæ Sixtus IV, in parte earumdem Bullarum narrativa, adeoque ad substantiam Privilegii nihil pertinente, nec, si in ea quid erratum sit, valorem illius tollente, nisi error solus causam Privilegio dederit. Hic Pontifex laudat Carmelitas, ut *SS. Prophetarum Eliæ, Elisei, & Enoch; nec non aliorum Sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli, juxta Eliæ fontem, inhabitarunt, successione hereditatem*, vel, *successionem hereditariam, tenentes.*

Ita scilicet Pontifici exposuerat per libellum supplicem, unde sumi narrativa solet, Generalis Ordinis Christophorus Martignonus, sensu satis ambiguo. Si enim *hereditatem*, immediate & continua serie devolutam ad nos, intelligas esse illorum duntaxat *Sanctorum Patrum*, qui divino instinctu, aut etiam *ex revelatione Prophetæ Eliæ*, ab anno circiter 1155 *montem sanctum Carmeli inhabitarunt*, (scilicet SS. Bertholdi, Brocardi, & Cyrilli, primorum istic Priorum Latinorum & Orthodoxorum) exemplo *SS. Eliæ & Elisei*, ab annis nongentis ante Christum ibidem commoratorum nihil potest dici verius: & sic intelligi debere, omnino dicendum est vel ipsis PP. Carmelitis; ne alioquin *hereditariam successionem à S. Propheta Enoch* etiam tenere, atque bis mille annis antiquiores esse convincantur, quam esse velint, ante diluvium instituti. Non enim alius *S. Propheta Enoch*, in Scripturis aut idoneæ antiquitatis auctoribus est invenibilis.

Sed qui in Thesibus Biterrensibus an.

A 168·

1062 Theologice propugnavit, *Enoch* ab Elia baptizatum in Paradiso, nodum solvet, dicetque, ibidem etiam mox receptum ad Ordinem, ideoque dumtaxat nominari tertium, qui tanto prius vivere cœperat. Tali quidem successione ab Elia, non contenti Carmelitæ, perpetuam nec interruptam per bis mille annos usque ad Bertholdum, & hinc porro ad nos tenere se prætendunt; nixi traditione, in suppo- fititiis qu[illegible] scriptis fundata; non tamen ipsi propterea dicer[illegible], sunt *[illegible]bulatores, fal[illegible]arii, impostores*; sed dumtaxat, qui talia scripta antea commenti, majorum de Elia fundatore traditionem, ex revelatione aut exemplo procedentem, interpretatione falsa reddiderunt ambiguam; ceteris extra culpam manentibus, nisi solius nimiæ credulitatis, ex majoris antiquitatis desiderio natæ.

PROTHESIS .II.

Quindecim summi Pontifices approbant & confirmant summarium Indulgentiarum, quod est hujusmodi; Leo Papa Quartus.

ANTITHESIS

Summarium Indulgentiarum, quod est hujusmodi, Leo Papa Quartus, *est apocryphum & à Pseudo-leone confictum.*

THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

LEo Papa IV., sedit ab an. 847 ad 855, quando neque probantur in Europa fuisse Carmelitæ, nisi ex supposititia Florentini Conventus fundatione pro an. 723, ab omnibus Florentiæ eruditis unanimiter rejecta; neque Monachi Syro-græci, si qui erant in Carmelo, Româ petiissent Indulgentias, nullam earum usum ne nunc quidem habentes; easq; si petiissent, à suis Patriarchis petiissent; nec denique ipsimet Romani Pontifices monstrantur, ex tunc usum habuisse Indulgentias largiendi, ecclesias etiam Romanas visitantibus, eisque manus adjutrices porrigentibus; licet Indulgentiarum usus, in ecclesia Catholica sit antiquissimus, ab ipsisque Apostolis derivatus. Cum ergo tot rationibus pateat, prædictas Indulgentias non posse ab Leone IV concessas esse; & Bulla Sixti IV altera, cui inseruntur, si non fictitia tota est, & ad imitationem alterius veræ composita, sit saltem interpolata; superest conjectura de Lucio III, qui Carmelitis Latinis & Orthodoxis, & jam tum in Palæstina notis, potuerit illas concessisse sub an. 1171, quo anno aliquas notat Lezana Carmelita; quales scilicet tunc dari cœperant Latinis, sacra loca terræ sanctæ visitantibus. Pontifices autem, qui illas sub nomine Leonis IV confirmarunt, citra solicitam indagationem veritatis, cum absolute vellent, ut poterant, fideles securos reddere, de talibus gratiis apud Carmelitas obtinendis; censeri debent ex sua parte suppletum voluisse, quemcumq; in iis juris aut facti defectum; qui verus & magnus ejusmodi confirmationū effectus est, adeoq; censeri potest ac debet intentus fuisse.

PROTHESIS .III.

Quindecim summi Pontifices approbant & confirmant constantem ac perpetuam traditionem Ordinis Carmelitarum, extenti à mari usque ad mare, propter antiquitatem suam.

ANTITHESIS

Carmelitarum de antiquitate Ordinis sui traditio, traditiunculis male consutis levißimisque fundatur conjecturis.

THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

NEque Antiquitatis, neq; constantis ac perpetuæ Traditionis in Ordine mentionem facit Sixtus IV, qui primus invenitur nominasse Eliam Eliseum & Enoch ut in monte sancto Carmelo commoratos, ante Sanctos prænominatos, quorum successionem vere hereditariam Carmelitæ tenent. Quam autem hi asserunt continuam ab Elia ad secul. 12 successionem, non aliunde probant, quam ex apocryphis scriptis vel conjecturis, quas omnes refutatas vide 8 Apr. in Commentario de S. Alberto Patriarcha Hierosolymitano & Legato Apostolico, qui ad fontem Eliæ morantibus sub Brocardi 2 Prioris obedientia Fratribus Regulam tradidit.

PRO-

PROTHESIS .IV. ANTITHESIS

Trecentis annis ante Alexandrum III Leo Papa dedit Indulgentias, visitantibus ecclesias B. V. Mariæ de monte Carmelo.

Ordo Carmelitarum non præcessit Alexandrum III, nec Aymericum Patriarcham Antiochenum, viventem sub Alexandro III.

THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

PRothesim nego, ex jam dictis: Antithesim recipio cum Baronio, Tornicello, Spondano, & pluribus aliis: qui non ignoraverunt, neque nunc ignorant, ejusmodi Bullas à Carmelitis prætendi, saltem ut ab aliis Pontificibus confirmatas modo supra dicto, nec propterea creduntur Sedi Apostolicæ vel Ordini injuriam fecisse vel facere..

PROTHESIS .V. ANTITHESIS

Carmelitæ, qui dicunt Patrem se habere Eliam, quam plurimis Religiosis eruditis, & doctrina præstantibus vigent ac reflorent.

Carmelitæ, qui dicunt Patrem se habere Eliam, sunt ineruditi, garruli, nugatores, & commentorum figuli.

THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

IMperitissimus rerum sit, qui nesciat sacrum Ordinem Carmelitarum habere & habuisse semper viros doctrina Philosophica, Theologica, Ascetica præstantes: in Historico-critica parum versatos ipsi se monstrant per eos quos pro sua antiquitate conscribunt libros: nusquam tamẽ in meis scriptis utor indefinitis ejusmodi censuris, quales Carmelitis adscribit Antithesis. Dextrinorum in Hispania *commentorum figulos*, cum doctissimis quibusdam Hispanis, ac novissime cum Eminent. Cardinali d'Aguirre, sic perstringo quandoque, propter absurdissimas quas in ecclesiasticam Historiam invexerunt fabulas: sed isti non sunt nec fuerunt Carmelitæ, apud hos solum invenerunt fidem, quia ad gustum eorum composita, sicut & Itinerarium Pseudo-antonini, expositum ante tomum 2 Maji, quod post hujus editionem nemo illorum amplius fuit ausus allegare, nedum defendere, adeo manifestis scatet mendaciis.

PROTHESIS .VI. ANTITHESIS

Carmelitæ sunt speciali caritate ferventes, & imitatores Patris sui S. Prophetæ Eliæ.

Carmelitæ sunt passione excæcati, furiosi Poëtæ, suæ rabiei spumam evomentes.

THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

UTinam caritas illa, quam in Carmelitis sui temporis laudant Pontifices, hodie quoque inveniretur in omnibus, qui prætensum de Eliana successione traditionem verbo scriptoque defendunt! Tali certe non flagrabat Poëta ille, quem contra S. Ignatium institutamque ab eo Societatem blasphemis versibus debacchatum per Epigrammata, delibata tom. 2 Maji pag. 714 & 715, merito dixi *furiosum* &c.

PROTHESIS .VII. ANTITHESIS

Carmelitæ sunt sinceritate vitæ pollentes.

Carmelitæ sunt impostores, qui Bullas finxerunt & Apostolica diplomata falsificarunt.

THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

INdefinite sumpta Antithesis, tam est injuriosa omnibus, quam honorifica Prothesis. Fuisse tamen subinde inter eos aliquem, non eadem sinceritate pollentem, agnoscit ipsorum Annalista Lezana ad an. 1171: quem annũ qui addiderunt Regulæ Albertinæ, itaque transcripserunt in Bullis Pontificum, *nedum corrigendi, sed expuniendi* ab illo censentur. Idem dixisset de interpolatione Bullæ Sixtinæ, de qua supra. Culpa unius non debet omnibus imputari, sed potius excusandi, qui nihil imposturæ suspicantes, bona fide tenent quod acceperunt: si tamen absit pervicacia in tenendo errore, & persequendo eos qui ipsũ detexerunt, sicuti nunc passim fieri videmus.

Carmelitæ sunt Religionis speculum & exemplum.	*Carmelitæ Religionis & nominis Religiosi jus amisere.*
Carmelitæ sunt morum sanctitate ac propagatione fidei orthodoxæ conspicui.	*Carmelitæ sunt moribus & fide diversi, ut sunt hæretici.*
Carmelitæ fructuosis ministeriis, & pene innumeris pietatis operibus, uberes fructus in agro militantis Ecclesiæ producunt utiliter.	*Carmelitæ, tamquam inutiles rami ab Ecclesiæ agro, una cum suo trunco (scilicet S. Propheta Elia) per schisma scissi sunt, sicut schismatici.*

THESIS DANIELIS PAPEBROCHII.

Istas, non jam scommata, sed blasphemias Pseudo-papebrochii, nusquam inveniendi nisi in cerebro Collectoris & complicum ejus, abominor, execror ego. De veris Carmelitis; à S. Bertholdo, per revelationem excitato, institutis in Carmelo, ad quamdam Eliæ Prophetæ imitationem; ab Alberto Patriarcha regulam primā nactis, sub eaque traductis in Europam; nihil tale vel dixi vel cogitavi. Monachos Syro-græcos, eaque tempestate schismaticos pertinacissimos, & Latinorum infestissimos hostes, quales Jacobus à Vitriaco testis oculatus describit, notatos dumtaxat volui. Hos si quis velit, absque idoneo auctore, in Carmelo quoque pro tunc fuisse, eosq; ab Elia per successionem perpetuā deducere; permitto eosdē tom. 1 Apr. p. 777 n. 42, comparari annosæ arbori, olim quidem ab Elia in Carmelo plantatæ, sed per schisma denique arefactæ; cujus truncus in Carmelo & varia inde profecta per Palæstinam monasteria Syro-græca, jure nominis religiosi amisso, exscindi meruerint; dum interim eorum loco, atque ex eadem (ut sic dicam) radice, per Eliam plantata, & per anachoreseos ejus memoriam adhuc superstite, succrevit novellus verorum Carmelitarum surculus, in spatiosam denique arborem, ut nunc cernimus, evectus. In hac comparatione utrorumque, & distinctione falsorum Carmelitarum à veris, quamvis illos nullos putem fuisse, nō video quod egre ferre possint Carmelitæ, & non potius debeant gratanter acceptare. Non decebat certe, neque nunc decet, dici Carmelitarum immediatos decessores, ipsiusque Bertholdi & sociorum patres, quos constat fuisse, non solum ritibus moribusque, sed etiam fide diversos ab Orthodoxis Latinis.

Collator, sicuti unicuique Prothesi adscribit nomina Romanorum Pontificum, ex quorum Bullis sumpta elogia sint, videlicet *Joannis XXII, Sixti IV, Gregorii XIII, Pauli V, Clementis VIII, Alexandri VII, Clementis X* (quos libenter volo credere elogia istæc dedisse Carmelitis) sic unicuique Antithesi, appingit nomina hæreticorum, *Wicleffi, Lutheri, Centuriatorum*, iisque subinde jungit *Heroldum Lutheranum*, & *Sabellicum Rhapsodiatorem*, nisi quod post Antithesim VIII dicat, *Nullus hæreticorum in talem audaciam prosilivit.* Poterat hoc omnibus novem aliis addidisse; & merito. Nec enim jam nominatorum quisquam (nisi forte Centuriatores) scitur Carmelitas specialiter insectatus esse; licet Mendicantium universim hostes & irrisores fuerint duo primi. *Heroldus* & *Sabellicus* nihil nisi cum honore de Carmelitis scripserunt, hic quidem in suis historiis quas ipse, Petro Cardinali Bembo laudatissimus scriptor, *Rhapsodias* appellavit exemplo Homeri; vir ad extremum Catholicus, & à Catholico Sacerdote Baptista Egnatio coram Veneto Senatu publica laudatione honoratus post mortem. Heroldus vero, utrum à fide defecerit senex, hactenus ignoro; bonus certe erat, quando post Guilielmum Tyrium prosecutus est Historiam Belli-sacri libris sex, quos totidem Prælatis Catholicis dedicatos ab illo, una cum Tyrio imprimi fecit æque Catholicus, Præpositus S. Morandi, ex qua impressione unicum dumtaxat locum sumpsi, S. Antonino, Baronioque conformem, ut eo nomine contemni non debeat vel ipse vel ego. Locum ipsum vide tom. 2 Maji pag. 711 ante Vitam B. Aloysii Carm.

FINIS.

MC

